


prius numerum viginti quatuor literarum Græcarum digitis attentè subduxisset, innuens meditata esse otiosè, nec præcipiti momento decernenda, quæ plus temeritatis, quàm sapientiæ in Imperatore arguant.

Atq; hoc remedium non ad latentes illas iras, invidias, & clandestina odia spectat: at biliosis & ferventibus furoribus opportunum est: qui bombardici pulveris instar uno momento incandescunt, & violentissimo impetu feriunt. Si quidem hoc temporis intervallo, quod alphabeticarum literarum enumeratio interponit, ut ad mentem redeatur, fervores huiusmodi iræ momentanei retineri ac coerceri possunt. Rationi enim conceditur tempus, quo omnia prudenter moderetur: & aquâ clementiæ & temperantiæ tanquam specifico auxilio flammam illam & incensos motus extinguat atq; cõhibeat.



## DE GAUDIO.

### Cap. VII.

**Q**UOD Galli, *Ioye ou esioyissance* dicere solent, illud gaudium Latini vocant. Græci verò in significantioribus vocibus feliciores, *χαρὰν* quasi *χαίρειναι*, quòd hilaritate cor distendat, & dilatatis meatibus Spiritus effundat ac expirret, unde repentina oritur sæpenumerò exanimatio: hoc quidem gaudium vel internum est, nullis

nullis notis extrinsecus se prodens, & dicitur tacitum & occultum: vel externum, quod risu aut benevolò ac hilari vultu, grataq; ac iucunda congratulatione, testimonia de se profert.

Nascitur autem gaudium diversis ex causis: *Causæ gaudij.*  
 aut ex commoditate & utilitate, quæ nobis contingit, aut ex ea quam futuram speramus, quæ propriè *χαρῆς* & gaudium dicitur: aut ex ea felicitate exoritur, quâ fruuntur vel quam morantur, qui nobis sunt amici, quæ quidem *ἡλικονογυβία* dicitur, id est, gaudium ex rebus aliorum secundis: prout alia gaudij species est, quæ nascitur in nobis ex infaustis inimicorum successibus & infortuniis: atq; hæc *ἡλικονογυβία* apud Græcos nomen habet.

Huius gaudij apud Suetonium leguntur affectus, quo populus Romanus audita Tiberii Neronis aliorumq; imperatorum morte, perfructus est, quorum tyrannidem diuturnam expertus fuerat. *Gaudium ex morte tyrannid.*

Apud eundem scribitur, quanto gaudio senatus Romanus ex Imperatoris Domitiani cæde affectus fuerit: cuius hæc sunt verba: *Senatus, inquit, aded lætatus est, ut repleta statim curia, non temperaret, quin mortuum contumeliosissime atque acerbissimo acclamationum genere laceraret, &c.* Quin & Cuspinianus admirandum huius speciei gaudij affectum, per totam Italiam circumiacentesque regiones diffusum describit, post interfectum in Sicilia Constantem Secundum Imperatorem: *Aded extulerunt, inquit, animos lætitiæ, ut Italia Exarchus & copiarum duces in Publico*

F 2

gaudio

3, gaudio nec minimum tristitia signum ostendere ausi  
 3, sint, usq; adeo istius Imperatoris odium capitale, om-  
 3, nibus insederat, ob spoliatam Romam, & tributum  
 3, ab Italia tota exactum.

Huiusmodi autem affectio adeo interdum ex-  
 uberat, ut uno momento hominem perimat.  
 Cor enim violenta & subitanea dilatatione à  
 gaudio explicatum, omnes spiritus repente ex-  
 halat & effundit, caloremque nativum efflat,  
 unde subsequitur mors. Sic Chrysippus ridendo  
 mortuus est, dum asinum vescentem ficibus  
 conspiceret.

*Chrysippus  
 ob nimium  
 gaudium  
 mortuus.*

*Cælius lib.  
 1. cap. 18.*

Zeuxis quoq; insignis ille pictor, qui nullam  
 non industriam, ingenium & artificium ad per-  
 fectè depingendam Helenæ pulchritudinem ap-  
 pulerat: cum vetulæ cuiusdam deformitatem suo  
 artificio perfectè delineasset, eamq; attentè in-  
 tueretur, usq; adeo in effusum prorupisse risum  
 legitur ob expressam νεαφικῆς anus deformita-  
 tem ac turpitudinem, ut animam ipsam inter ri-  
 dendum efflaverit.

Prioribus alia quædam subiungimus exempla  
 eorum, qui, quod prospera usi fuerint fortuna,  
 amicosq; habuerint & agnatos foelices atq; flo-  
 rentes, gaudio soluti è vita emigraverint.

*Sophocles:  
 Diodorus.  
 Valer.  
 Max.*

Sophocles insignis ille Poëta tragicus, qui to-  
 ties palmam ex tragædiis victor reportarat: ex  
 ultima sua tragædia denuo relata victoria, tantà  
 animorum ab omnibus congratulatione ac ap-  
 plausu exceptus est, ut nimia lætitiâ diffusus spi-  
 ritum momento emisericit.

Philippides Atheniensis Comicus iam ætate pro-

profectus, cum in Poëtarum certamine præter  
spem vicisset, coronâq; potitus fuisset, præ nimio  
gaudio anima deficiens, repente mortuus est. *Cel. lib. 3.  
cap. 15.*

Eodem mortis genere, ex insolenti lætitia  
constatæ, uno momento spiritibus dissipatis, qui-  
dam *Ænetus* diem obiit extremum. *Pausanias  
in Laconia  
et Seli-  
nus lib. 9.  
de var. list.*

Insignem porrò historiam adiiciemus, de  
quodam parente nimia lætitia correpto, ob ho-  
nores inopinatos liberis præstitos, in quorum  
amplexibus expiravit. Parenti illi nomen erat  
*Rhodi* *Diagoras*, qui tres filios iuvenes ha-  
buit, bonæ omnes indolis & frugi, atq; inter alios  
eiusdem secum artis faciliè primos. Vnus il-  
lorum pugillatum exercuit; alter *Pancratiastes*,  
tertius vero luctator. Hos eadem Olympiade  
vidit simul triumphantes, & corona insignitos:  
cum autem illi patris capiti coronas impone-  
rent, quas adepti fuerant, & suavissimè am-  
plexerentur, præ nimio gaudio commotus pater  
inspectantibus singulis inter manus filiorum ani-  
mam exhalavit. Eandem narrat historiam *Cice-  
ro* *I. Tuscul.* Veruntamen duorum tantum filio-  
rum coronis præcinctorum mentionem facit. *Gellius.*

Hæc proponimus exempla, ut innotescat om-  
nibus, quantis viribus eiusmodi affectiones pol-  
leant, & ad nocendum potentes sint, cum termi-  
nos excedunt, quæ alioqui, si modum servant,  
sanitati maximè conducunt: Si quidem *Ioviales*  
omnes complexionēs, ut loquuntur, quales sunt  
lætæ & hilares inter reliquas, summè sunt salu-  
tares: alioqui usq; ad eò corpori humano exitio-  
sæ, ut vita ipsum tandem idq; momento spolient.

Hinc igitur monemur, ut eiusmodi affectionum alieni simus, omniaq; ita temperatè & moderatè à Dei manibus excipiamus, ut in neutram partem excurramus, sed medium servare perpetuò studeamus, iuxta illud:

*Medium tenere beati.*

Ex his etiam à nobis propositis exemplis, medicus hunc fructum privatim referet, ut in primis caveat, ne nuncium, quod ægris vehementius gaudium indacat, repentè deferatur, sed ut singula, quæ ad hoc faciunt, sigillatim, & variis momentis distribuantur, ut motibus illius affectionis, etsi hilaris, paulatim tangatur, nec uno impetu abripiatur & solvatur. Præcipiti enim & immoderato gaudio, ut exemplis adhuc pluribus, ni breves esse vellemus, doceretur, plerosque repentè concidisse & exanimatos fuisse, certo certius est.

## DE TIMORE.

### Cap. VIII.

**I**NTER alias animi perturbationes sæpius timor nos adoritur, aliasq; affectiones, ut plurimum tanquam umbra corpus comitatur. Etenim avarum sequitur comes ille perpetuus, à quo semper egestas ac pauperies reformidatur. Ambitioni adiungitur, quæ probra & vituperia inquit. Quin & amor eo stipatur, qui nocte dieq; à re

*Metus perpetuus est comes avaritia & ambitionis.*